



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Gerardus Ep. M. 24 Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

596 VITÆ SANCTORUM. 24. Sept.
manum porrigeret, medici, quibus,
quòd nullam jam lucelli spem viderent,
oculi scilicet dolebant, in virginem in-
fames adolescentulos armarunt. Hos
lenones cum fugeret, quæ nec leones
fugerat, jam jam comprehendendæ si-
num rupes discedens præbuit, clausæque
castitati & asylon & tumulus fuit. Ita-
que qui pudori periclitanti non consu-
lit, hunc ego etiam rupe duriozem di-
cam. *Ex D. Basil. & Metaphr.*

*Inter omnia certamina Christianorum
sola sunt dura prælia castitatis; ubi quo-
tidiana est pugna, & rara victoria: gra-
vem namque sortita est castitas inimicum,
cui quotidie resistitur, & semper timetur.*
S. Aug. l. de Hon. mul.

S. GERARDUS EP. M. 24 Septembris.

Genuère Venetiæ GERARDUM ma-
gno suo honori, majori Ungariæ bo-
no. Nam per hanc illi dum iter est ad
sacras Solymæ terras, hospitem interce-
pit Rex D. Stephanus, & detentum ami-
câ vigenti Episcopum dedit. Nihil illi post
Christi honorem prius, quàm Mariæ hu-
jus cultus, quem toto regno magnâ animi
sui voluptate, fructu hominum quàm ma-
ximo, disseminavit. Pietatis in Mariam
illud argumentum esto, quòd ante ejus
aram numquam non binos ministros
excubare voluit, qui thuris odore eam
ho-

24. Sept. VITÆ SANCTORUM. 597
honorarent, & fumo tam pio prode-
rent, quibus Virginem castissime arde-
bat, ignes sanctissimos. Adhæc nemo
unus fuit, qui ab offenso veniam non
exorasset, simul interposito Patronæ
Mariæ nomine orasset: ut jam nominis
hujus characteres totidem calculos can-
didos dixisses, quibus omnes apud illum
rei absolverentur. Jam ut corpus in vir-
tutis palæstrâ exerceret, noctu silvas &
ex filijs ligna petebat, leprosis interim in
lectulo Episcopi vicem dormientibus.
Hostibus, qui regi Petro regnum, quod
Stephanus suâ morte illi in manus tra-
diderat, vi eripuerant, malam mor-
tem, sibi optimam vaticinatus est &
sanguine comparandam. Et verò anno
M. XLII. à globo impriorum cinctus,
lapidibus primò est appetitus: sed, quia
innoxius hoc scuto Crucis excipiebat,
post currum eversum hastâ tranfixus est,
cum pro parricidis suis, Christi & Ste-
phani exemplo, è genibus perorasset. *Ex
Surio.*

*Beatus qui ab omni abhorret turpitudine
peccatorum, sequē hostiam viventem & Do-
mino acceptam offert. Beatus qui semper in
seipso Dei memoriam colit: erit enim to-
tus velut Angelus celestis in terra cum re-
verentia & amore sacrificans Domino.
S. Ephrem in Beatitud.*